Propterea de Valentiniani pii Principis morte in funebri Oratione idem Sanctus Ambrosius loquens ait: *Quam beata fuisset Respublica, si eum diutius servare potuisset! Sed quia VITA SANCTORUM* (ideſt Justorum) *non hoc in terris est, sed IN COELO* (*Justis enim Vivere Christus & Mori lucrum, quia dissolvi & cum Christo esse, multo melius*) *dolendum est, quod nobis cito raptus sit: consolandum, quod AD MELIORA transierit*. Proinde in fine Animam illius alloquitur, quæ *nunc Lumen a Sole Justitiæ mutuata, clarum diem ducit*. Petit, ut *Gloriam suam suis Sororibus monstret*, & rursus ad *Hierusalem illam Civitatem Sanctorum* regredi festinet, *ubi abundant meritorum Præmia, ubi cum Fratre conjunctus ÆTERNÆ VITÆ FRUITUR VOLUPTATE*. Qui plura cupit, ipsam Orationem adeat. Piissimum quoque Imperatorem Theodosium Magnum altera funebri Oratione Ambrosius laudavit Anno Christi CCCXCV. de eo inter cetera præfatus: *Et ille quidem abiit ACCIPERE sibi REGNUM, quod non deposuit, sed mutavit, IN TABERNACULA CHRISTI jure pietatis adscitus, IN illam SUPERNAM HIERUSALEM, ubi nunc positus dicit* &c. Tum num. 28. de illo interpretatur verba Psalmi CXIV. 7. *Convertere, Anima mea, in Requiem tuam*, per illa designatum inquiens *paratum Justis Regnum a constitutione Mundi, Regionem vivorum, & Civitatem Hierusalem, de qua dictum est. Et Reges terræ ferent gloriam suam in illam* (Apocalyps. XXI. 24.) *Illa EST VERA GLORIA, quæ ibi sumitur: Illud REGNUM BEATISSIMUM, quod ibi possidetur, id quod festinabat Apostolus, dicens: Audemus ergo & consentimus magis peregrinari de Corpore & Adesse ad Dominum*. Sunt & alia non minus dilucida hac de re in eadem Oratione, quæ post tantam lucem referre supervacaneum puto. Quare nunc eat Burnetus accersitum in sui tutelam splendidissimum Mediolanensis Urbis Antistitem Ambrosium, ut suis Britannis persuadeat, Justorum, immo & Impiorum Animas in ignotis sibi locis diuturno immanique somno propemodum sepultas jacere, quousque postrema Mundi dies adveniat. Habemus jam Ambrosium hujusmodi somniis infensum: habemus pro Catholicæ Ecclesiæ sententia firmiter stantem, ut mirari subeat incuriam, seu pravam potius Burneti mentem, qui inde præsidium caussæ suæ petere voluit, unde graviorem ruinam ipsa contraxit.

CAPUT XV.

Johanni Chrysostomo tributum durum quoddam assertum, atque illud ad trutinam revocatum. Apostoli locus in Prima ad Corinthios explicatus. Chrysostomus cum Ecclesia Catholica concors. Requies apud illum nihil aliud nisi Cœlestis Beatitudo. Quibus calumniis eum sibi adversantem Burnetus exceperit.

AD *S. Johannem Chrysostomum*, sacrum illum, atque admirandum Græcæ Ecclesiæ Demosthenem, subinde nos appellat Burnetus, quem secum omnino facere contendit. Et sane magni momenti sunt, quæ excerpsit Burnetus ex Homil. XXXIX. in cap. XV. vers. 19. Est